


4/94

IDIBVS SEPTEMBRIBVS
MCMXCIV

VARIVS
RVMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS
RVMOR VARIVS



IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TURICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	20.--
In Germania	DM	32.--
In Austria	öS	230.--
In ceteris Europae terris	sFr.	30.--
In terris trans maria sitis	US\$	24.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Solothurn

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0



IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS
LATINA TURICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	20.--
Deutschland	DM	32.--
Oesterreich	öS	230.--
Uebrigues Europa	sFr.	30.--
Uebersee	US\$	24.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic. phil.
Dr. phil. Emanuel Bernard
Dr. med. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH - 8050 Zürich

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hac aestate librum titulo 'Per barbam prophetæ' continen-
tem sententias et narratiunculas Arabicas casu inveni.
Quarum nonnulla exempla vobis propositurus sum:

Al-Chali ibn Ahmad quattuor genera virorum esse dixisse
fertur: Sunt viri, qui aliquid sciunt et sibi conscii sunt
se aliquid scire - ab eis discite! Sunt viri, qui aliquid
sciunt et sibi conscii non sunt se aliquid scire: obliviosi
sunt - eos monete! Sunt viri, qui nihil sciunt et sibi con-
scii sunt se nihil scire: institutionem et eruditionem
quaerunt - eos docete! Sunt viri, qui nihil sciunt et sibi
conscii non sunt se nihil scire: stulti homines sunt - eos
vitare!

Vir quidam affirmavit se Deum esse. Ad chalifam ductus est,
qui ei dixit: "Anno priore aliquis hic affirmavit se pro-
phetam esse, et interfectus est." - "Iure illum interfe-
cistis", vir respondit, "eum enim non miseram."

Alius vir aetate chalifae al-Mamun dixit se prophetam esse.
Cum chalifa eum interrogavisset: "Quae miracula perficere
potes?" respondit: "Pete a me, quaecumque vis!" Ante chali-
fam claustrum iacebat, et is dixit: "Cape hoc claustrum et
aperi!" Tum vir: "Deus te servet, o chalifa, sed non affir-
mavi me fabrum ferrarium esse." Chalifa risit, virum
admonuit, ut superbiam deponeret, et eum impune dimisit.


Sultano cuidam tres mulieres erant, Persica, Arabica, Cop-
tica (vel Aegyptia). Aliqua nocte cum muliere Persica
dormivit et eam interrogavit: "Quae hora est?" Persica
respondit: "Tempus diluculi est." Tum sultanus: "Qua de
causa id cognovisti?" Persica: "Scio, quod odores rosarum
et herbarum ocimi basilici surgunt et aves cantare coepe-
runt." Nocte sequente sultanus cum muliere Arabica dormivit
et ex ea idem quaesivit. Arabica respondit: "Tempus dilucu-
li est. Id cognovi, quod margaritae torquis mei frigidae
super pectora mea iacent." Nocte sequente sultanus cum
muliere Coptica dormivit et iterum idem eam interrogavit.
Coptica respondit: "Tempus diluculi est. Scio, quod sentio
mihî eundum esse ventrem exoneratum."

Cum Amr ibn al-As chalifam Muauija visitavit, filia chali-
fae apud patrem erat. Amr interrogavit: "Quis ista est, o
domine credentium?" - "Sunt meae deliciae, mea filia
amata", chalifa respondit. Tum Amr: "Dimitte eam!" Chalifa:
"Qua de causa id faciam?" Amr: "Feminae hostes pariunt,
remota prope afferunt, odium hereditate tradunt." Chalifa:
"Noli dicere talia! Nam nemo aegrotos curat, mortuos def-
let, tristes adiuvat melius quam feminae. Interdum avuncu-
lum quoque invenis, cui filii sororis eius profuerunt." -
"Quam sapiens es!" Amr respondit. "Me cum feminis reconci-
liavisti."

Chalifa Wathik regente aliqua femina prophetim se esse
asseveravit. Chalifa eam interrogavit: "Fuitne Mahomet
(Mohammed) propheta?" - "Fuit." respondit. Tum chalifa:
"Quia Mahomet dixit: 'Post me propheta non erit', non vere
loqueris." Femina: "Dixit: 'Post me **propheta** non erit', sed
non dixit: 'Post me **prophetis** non erit.'"

His verbis illius feminae facetiae mundum orientalem relin-
quens finem facio. Quod ad feminas attinet, ne obliti
sitis, cari legentes, nostri argumenti, quod in libello
priore (3/94) RUMORIS VARIi proposuimus! Iam nonnullae
symbolae nobis missae sunt, sed etiam plures nobis gratis-
simae erunt! Gratias vobis agimus!

Valete!



Daniel Weissmann



AESTAS TURICENSIS

(Amore Turici adhuc motus haec scribo)

Turici sum, sed sub finem mensis Augusti (vel, ut Romani
temporibus Ciceronis dicebant: mensis Sextilis) spero nos,
uxorem meam meque, in oppidum Macloviopolim (Saint-Malo)

ituros esse, quod est situm in Aremorica (Bretagne), ubi
iam multas ferias aestivas peregrimus.

Nunc in terra nostra, id est in regione Turicensi, cottidie
ad balneas litorales, quae sitae sunt in vico nomine
'Rüschlikon', imus, ubi aqua lacus his diebus 26 gradus
caloris habet, et aër valde aestivus caloris graduum 31
est. Puellae, feminae iuvenesque undique conveniunt. Hae
puellae feminaeque non sunt minus pulchrae quam illae, quae
ad Macloviopolim (Saint-Malo) aestate veniunt, forsitan
sunt etiam pulchriores. Qua de causa consuetudo mea est
earum crura aspiciendi, at non audeo eas alloqui, cum mihi
sint ignotae. Itaque nihil ultra mihi restat quam eas
aspicere et admirari, si admirandae sunt. Cum autem semper
earum crura aspicio, accidit, ut irascantur, et nuper una,
quam diu admiratus essem, subito oculos paulum amicos ad me
direxit et paulo post me interrogavit, cur se aspicerem
continuo, et utrum quidquam a se vellem, et se ipsam nihil
a me velle, nisi ut oculos alio dirigerem.

Tempora longe remota quoque mihi in memoriam veniunt, cum
iuvenis Curiae habitans ferias aestivas Turici agebam apud
amitam et consobrinam meam. Non multum me occupabat, utrum
puellae meae aetatis essent an maiores natu. Consobrina
mea, ut exemplum dem, me erat octo annis maior natu,
attamen eam seduxissem ad amorem mecum faciendum, si omnino
fuisset seducenda. At illa erat moribus tam altis et
christianis, ut omnis spes talis in me ne nasci quidem
posset. Tamen tam frequenter quam consobrina labore libera
erat neque ei ad officium eundum erat, cum illa ad balneas
litorales ibam, ut eius corpus paene nudum spectare possem.
Plerumque autem, id quod dolebam, eam in balneis non multum
videbam, cum intra saepimentum ligneum in piscina exercitia
natandi faciebat, dum ego foris, extra balneas, in lacu
natate praeferebam, et cum in piscinam intrabam, consobrina
saepe iam e piscina exierat, ut vestem sibi circumdaret. O
quam terribiles sunt mulieres tam pudicae! Multo faciliores
essent re vera, si sine ullo pudore ad earum corporum
essent. Sed Deus, pater noster in caelo, sine dubio sciebat
et praevidebat, cur femina sibi tam pudica creanda esset.
Cum iam tempus meridianum adesset, in diaetam nobis eundum
erat, mihi in meam, consobrinae in suam scilicet. Namque
ante meridiem, id est ante cenam, nobis erat eundum ad

tabernam coffeam emptum, quia avunculus meus numquam sine potu coffeae a cena abire volebat. Confiteor me quoque cenam finire cum potu coffeae.

Postea autem facile coffea carere poteram, cum familia nostra consuetudinem post cenam coffeae bibendae numquam habuit.

Consobrina mea cena habita me adspiciebat paulum subridens et dixit se nunc ad officium ire debere, meque interrogavit, utrum se comitari vellem. Quam quaestionem! Tam bene quam ego sciebat me semper secum ire velle. Catillum meum vacuefeci, surrexi et consobrinam in vestibulum secutus sum. Illa autem me monuit, ut foris, in via, se exspectarem. Exii et non multum post consobrina etiam e domo exiit et iuncti ad stationem transviariam descendimus. Ante 'Domum Londiniensem' (London House) autem amicam meam dimittere debui, cum in officium suum intrare deberet. Tristis ad oram lacus, quae est paulum supra 'Domum Londiniensem' (London House) ambulabam ibique vidi maximam navem nomine 'Helvetiam' ad oram lacus vectores exspectantem. Paulo post bucina ululavit et navis in lacum profecta est. Ego autem, etiam tristior quam antea, iter domum lento passu feci. Deinde cum Johanne Baumann amico meo, qui in domo vicino, id est in altera parte viae, habitabat, in horto vicino lusi usque ad vesperum.

Tali modo quasi omnes dies Turici transibant: ante meridiem amitam adiuvare debebam in conclave in ordinem redigendo, et post meridiem semper labore liberatus eram, ita ut ad balneas ire possem.

Turici iam fueram septem annos natus et post illud tempus quoque anno in feriis aestivis. Libentissime Turicum ad amitam et consobrinam meam ibam. Amita erat soror patris mei eiusque maritus erat avunculus Augustus, et consobrinae meae amatae erat nomen Frida. Habebat etiam fratres duos, Augustum et Eduardum, iuvenes ambo amabiles, sed ego neminem vidi nisi consobrinam meam.

Ab illis temporibus, cum puerulus octo annorum eram, amo Turicum, amo lacum Turicensem, amo montem nomine 'Uetli-berg', amo montem Turicensem, mihi placent ecclesiae nomine 'Fraumünster' et Sancti Petri (Sankt Peter), mihi placet via Stationis cum multitudine hominum et autocinetarum, mihi placet universitas et mihi placet dialectos Turicensis

et, ut breviter dicam: omnia mihi placent, quae mihi Turicum in memoriam revocant. Ex contrario mihi valde displicet parvum oppidum Curia, ubi adoleveram. Nunc autem iam quadraginta annos in vico nomine 'Rüschlikon', id est in proximitate urbis Turici, cum uxore mea et cum pueris meis vivo et adhuc Turicum amo.

Emanuel Bernard



MORTES

Marian(a) Anderson

Nil sine magno vita labore dedit mortalibus.
(Q. Horatius Flaccus, Sermones I, 9, 59)

Marian(a) Anderson, cantrix vocis altae melodramatica Americana colorata 96 annos nata vi virtuteque vocis cognita diem extremum obiit.

Marian(a) Anderson die Mercurii - quarta feria - mensis Februarii anno 1897° Philadelphiae in oppido ad Delavarum fluvium in civitate Pennsylvania in districtu nigritarum seu coloratorum ut filia parentum pauperum coloratorum nata, una ex optimarum cantatricum vocis altae (altistarum) nostri temporis die 8° mensis Aprilis anno 1993° Portlandio ad Villamettum fluvium sito in civitate Oregonia (Indi-ance: Jakaitl - Uimakl = fluvius magnus) apoplexia cerebri prostrata animam efflavit.

Eruditionem autem primam musicam iam adsecuta est Mariana, sex fere annos nata in choro ecclesiae unionis Baptistarum Philadelphiae in oppido patrio, ubi iam voce mirabili excellebat. Ecclesia namque coegit pecuniam, ut vox mirabilis Marianae puellae exactissime excoleretur. Anno autem 1925°, 28 annos nata, Mariana in competitione musica Novo

Eboraco in oppido cum 'Orchestra Philharmonica' Novi Eboraci vicit et primum accepit praemium inter 300 competitores competricesque. Prosperos arripuit successus Mariana inter annum 1925^m et annum 1935^m variis in competitionibus Europaeis. Anno autem 1935° ad Novum Eboracum reversa Mariana successus confirmavit etiam in America.

Anno 1939° autem ei - cantatrici coloratae! - auctoritates Americanae interdixerunt scaenam in Aula Constitutionis (Constitution Hall) Washingtonio in oppido in districtu Columbiae, sed breviter post Mariana aditum ad scaenam Memorialis Lincolnii (Lincoln Memorial) - ubi 75000 auditores auditricesque ex diversis locis confluerunt et eam laeta acclamatione exceperunt - nanta est.

Anno 1939° altista nigra in Domo Alba (White House) ad cenam vocata est a 32° praesidente Civitatum Foederatorum Francino Delano Rooseveltio (1882-1945), filio Iacobi (James) Rooseveltii Saraeque Delanae.

Die 7° mensis Iulii anno 1955° Mariana - prima cantatrix nigra! - tirocinium ('début') dedit in Opera Metropolitana Novo Eboraco in oppido in parte Ulricae dramatis melici 'Saltato personata sive personatorum personatarumque' (Italice: Un ballo in maschera) Iosephi Fortunini Francisci Viridis (Giuseppe Fortunino Francesco Verdi), compositoris illius urbibus noti et populis Itali.

Mariana in scaenam prodiit in fere omnibus magnis aulis concentus seu odeis ubivis terrarum gentiumque et concentus edit fere sescentos, ut exempla afferam: Berolini in urbe, Iuvavo, Romae, Stoccolmae, Toquii. Interpretata est inter alia opera Francisci Petri Seraphi Schuberti, Georgii Friderici Haendelii et Iosephi Fortunini Francisci Verdi. Repertorium cantionum Marianaecomplectebatur plus quam 200 cantilenas novem in linguis.

Mariana anno 1965° cursum cantatricis ad finem duxit cum lustratione triumphali per omnes fere locos ubivis terrarum gentiumque.

Quod ad cantatricem altae vocis attinet Mariana virtute et vi vocis, puritate soni atque summa peritia varietateque gravitateque stili scaenici cognita erat ubicumque locorum et gentium.

Mariana etiam legata erat apud Nationes Unitas (Consociationum Nationum Unitarum).

Scriptis autobiographicam sub titulo 'Domine mi, quod mane' (Anglice: My Lord, what a morning).

Vox cantatricis mortalis obmutuit conticuitque, sed gloriam immortalem talis mulieris unicae nulla umquam delebit oblivio.

AMICUS



DE CAMPANULAE URSULO

(Fabula ex montibus Helveticis pueris narrata)

Altis in montibus procul abhinc puer olim parvulus habitabat in vico enim paupere. Domus, quae eius parentum erat, ornamentis et imaginibus formosissimis erat ornata, sicut mos est in Valle Oeni (Theodisce: Engadin; Rhaetoromanice: Engiadina). Nomen pueri erat Ursulus.

Ursulus erat puer vere montaneus. Calcamenta gravia montanea gerebat atque petasum lana ovium confectum. Cottidie ab horis matutinis usque ad solis occasum parentibus aderat in nutriendis bestiis atque in agro parando. Etiam artem coquendi a matre didicerat. Cum labores domesticos perfecerat, in vici aream currebat, ut cum ceteris pueris luderet. Pridie quodam Kalendis martiis campanulam quaerit. Mos enim est in Valle Oeni pueros campanulas ferentes magnam facere circuitum per vicum Kalendis Martiis - unde nomen festum hoc sumpsit Rhaetoromanicum 'Chalandamarz' - ad hiemem fugandam et ad ver salutandum. Quisquis maximam adhibere potest campanulam sive cloccam, circuitus primus et dux est.

Pueri omnes currunt ad Ioannem patrum, qui tunc temporis est campanularum distributor. Ursulus, quod a ceteris semper amovetur, ultimus ad Ioannem pervenit et minimam campanulam accipit. Flentem amici illudunt: "Campanulae Ursule, campanulae Ursule, postremus eris in circuitu!"

Cuius facti Ursulum maximopere pudet. Non vult una cum puerulis minimis aetate postremus esse in circuitu. Vult circuitui praecedere magnam cloccam gerens. Scit enim homines circuitum spectantes multis et bonis rebus implere campanulas. Quo maior est clocca, eo plus inferri potest! Die deliberat, qua via sortem duram leniat. Tunc aliquid ei venit in mentem: 'In casula alpestri nostra alto in monte sita clocca pendet gigantea. Quam si afferre possem...!' Iam proficiscitur, iam vias arduas petit, iam nivem transit semigelidam, qua semper submergitur. Die iam finem vergente tandem casulam alpestram attingit. Quod porta obserata est, per fenestram satis angustam intrat. Lumine accenso cloccam videt expectatam. 'Amici mei', cogitat, 'cras valde mirabuntur!'

Tunc Ursulus somno victus totam per noctem dormit. Capreoli, rupicaprae, vulpes, lepores, corvi aliaeque bestiae ferae obstupefactae adstant, quod hoc anni tempore homines in casulis alpestribus versari non solent.

In vico autem parentes filium quaerunt. Timent enim, ne quid mali Ursulo acciderit. In unaquaque vici domo puer quasitatur, omnes pueri interrogantur, num Ursulum viderint. Nemo vero scit, ubi sit. Parentes denique maerore suppressi domum regrediuntur. Non dormiunt, donec sol oriatur.

Sole orto etiam Ursulus expergiscitur et quam celerrime cum clocca ingenti in vallem redit. Paucis iam horis post ante parentum domum stat et "Heus, matercula!" exclamat. "Rursus adsum! Ecce cloccam meam!"

Post meridiem circuitus magnus fit. Cuius primus et dux est Ursulus, qui cloccam omnium maximam secum portat.

Circuitu confecto Ursulus ad mensam sedens cenaque sapidissima fruens matri patrique narrat, quo modo omnia acta sint et qua via cloccam maximam sit adeptus.

(Hanc fabulam notissimam narravit Selina Chönz. Liber eiusdem tituli imaginibus spectatissimis exornavit ille celeberrimus Aloysius Carigiet. In linguam Latinam perfacilem vertit:

Martinus Meier

QUIDNI ACADEMICIS INVIDEAMUS PROFESSORIBUS?

Digni sunt academici magistri
prorsus invidia mala popelli.
Vix hi quinque solent adesse menses,
si festos numeres dies in anno.
Dispensant cathedras (1) suo tenore,
collegas ut habere gratulantes
possint perpetuo sibi subactos.
Circum se lepidas tenent puellas,
in quas exsaturent libidinosos
impulsus, quotiens ferat senecta.
Horas deminuunt quadrante semper,
cum vix perpetiantur hunc laborem;
nec possis numerare quam frequenter
absint, visere plura gestientes
impensis loca publicis amoena:
occultant specie suam decora
turpem desidiam notas merentem.
Nulli reddere nam gubernioni
coguntur rationem acerbiori;
ipsorum arbitrio negotiorum
pauillum statuunt sibi ferendum.
Raro colloqui datur potestas:
semper se simulant gravi impediri,
- eheu! - munere ne parumper adsint
doctrinas iuveni probe colenti.
Istos iure putes licet beatos,
istos vel superis pares rearis,
qui tot lucra sibi parant inertes.

(Metrum: Catulli hendecasyllabi)

- 1) cfr. Auson. Commemoratio Burdigalensium professorum 9-10: "et te, quem cathedram temere usurpasse loquuntur/nomen grammatici nec meruisse putant."

Orestes Carbonero

NOVA DE URSIS BERNENSIBUS

Certe recordamini in libello 5+6/1993 de ursis Bernensibus nomine Jedi et Assad legisse, quibus ante unum fere annum saepes nova data erat in therotrophio nomine 'Dählhölzli'.



Quae sedes nova ursis optime placuisse videtur: Nam die 27^o mensis Ianuarii hoc anno ibi duo ursuli, puella nomine 'Balya' et puer nomine 'Bor' nati sunt.

Die 24^o mensis Martis ursuli duo menses nati in saepe magna primos gradus fecerunt. Pondus exiguorum ursulorum neonatorum erat 300^{orum} grammatum, duo menses post, cum primum ambulabant, iam septem chiliogrammorum erat, in dies 70 fere grammatibus crescens.

Prima ambulatione Balya et Bor non longe a spelunca abierunt. Mox sub matrem se recipientes repserunt et, postquam biberunt, placite dormiverunt.

In imagine videtis matrem Jedi cum filia Balya et filio Bor.

Daniel Weissmann



RISUM TENEATIS, AMICI?

Quae fortuna!

Amore vehementer captus incensusque iuvenis adoratae puellae suae: "Tute", inquit, "non potes vivere sine me, egomet autem non possum vivere sine te." Tum puella: "Quae fortuna!" respondet. "Laudo re et veritate, quod nosmetipsos convenimus. Alias iam diu mortui essemus!"

Culina nova

Dispensator domus habitationem quaerentibus: "Culina", inquit, "sane quidem nimis est parva, sed quod attinet ad pecunias habitationis solvendas certe solum minus minusve coquere poteritis."

Autocinetum modicum

Venditor autocinetorum emptorum placat verbis his: "Recte dixisti, est solum autocinetum modicum, sed partes ratae solvendae tibi mox certe dabunt cogitationem, tamquam si emissas autocinetum magnum.

De duobus canibus

Coniuges maiorem emunt canem Molossum, ut domicilium custodiat. Brevi post irrumpitur in domum, dum canis ille Molossum tranquille beateque cubat et dormit. Exarcebatus exasperatusque maritus reddit canem negotiatori animalium, qui canem paulo ante vendidit. Sed ille se defensat verbis his: "Canis ille maior Molossum solum designatus est, ut fures deterreat a furto. Sed ut ille ad tempus exsuscitetur, opus est insuper canis minor vigilax."

Effectus artis gymnasticae

Alter: Uxor mea nunc artem gymnasticam energeticam seu athleticam exercet.
Alter: Et interea iam aliquid profuit ei?
Alter: Aliqua parte utique. Illa destitit speciem praebere mulieris 52 annorum, sed nunc iam habet speciem viri 51 annorum.

Nulla modo

Alter: Tu forsitan etiam ante cenam Deum invocas et preces facis?
Alter: Nulla modo! Nam uxor mea est coqua egregia.

Eadem non

Iudex: Tu ab accusatrice aliam recepisti et eadem tibi reddidisti?
Reus: Eadem re et veritate non, sed duas alias.

Parva differentia

Alter: Elisa autem uxor mea quater in hebdomada in theatrum it.
Alter: Tonitrua fulminaque! Estne tantopere exulta?
Alter: Neutiquam; est vestispica.

Apud medicum

Aegrota: Doctor honoratissime, egomet solum volo...
Medicus: Exue vestem, detrahe nulla mora interposita vestem, quam celerrime omnino fieri potest, domina!
Aegrota: Sed doctor, solum volui...
Medicus: Id et egomet volo!

Occasionem nactus est ille

Legionarius alter: Quamobrem tu in legionem extraneorum introiisti?
Legionarius alter: Egomet autem re et veritate non violationum virginum aut stuprorum mulierum aut parricidi causa in legionem extraneorum introii, sed evadere tandem in omne tempus volui a damnatis exsecratisque maledictisque odiosisque illis chartulis creditoribus!

Solum unam eruptionem

Altera: In rebus amoris maritus meus reapse aequat montem ignivomum.
Altera: Quid ita? Tantopere ardens?
Altera: Nequaquam. Quotannis solum unam eruptionem!

Officiales inter semetipsos

Officialis alter: Quid generatim diebus singulis in officio agis?
Officialis alter: Prorsus nihil.
Officialis alter: Mirum in modum, et quo modo intellegere potes, quando opus tandem factum sit?

Culmen impudentiae

Alter: Id autem culmen esse impudentiae constat. Ego tibi impertivi teque certiore feci uxorem meam mox infantem expectaturam esse. Et tu nunc rogas me: 'A quo viro?'
Alter: Noli irasci, nam te saltem id scire opinatus sum.

Apud medicum

Medicus: Quomodo vales, quid omnino tecum agitur?

Aegrota: Ut verum fatear, agitur mecum male, nam amator meus me reliquit cum duobus infantibus et cum marito.

AMICUS



PANCOSMIA FOLLIS PEDUMQUE CERTAMINA

I

Nocturno clamore sonat locus omnis in urbe,
ut nulli refici iam requie liceat;
evadant nostri certamine mox superati
follis nunc malim, ne recubare veter.

II

Cui cordi non sunt certamina follis, is omni
exclusus coetu solivagus peragrat;
proditor ut patriae, trucibus ciliis male sani
despectus vulgi, se tenet in tenebris.

III

Laetitia vulgus salit in plateis pecudali,
quisque velut factus sit locuples subito;
hos iuvat instantes curas deponere paullum
temporis, ut levius sic videatur onus.

IV


Calcibus ac pedibus magnis opibus cumulatis
persicus ut satrapes immerito fruere;
o calces utinam tibi nunc impingere possem,
qua folli rabie tu solitus quidem eras!

Orestes Carbonero

IN NIVE SCIURUS

Praeterito autumnus natus tu, parve sciure,
aspicis ecce nivem delapsam nocte silenti.
Aspicis atque stupes. Miraris culmina et arva,
alba ubicumque, et quid fuerit nescire videris.
Porro foras subtile caput tu porrigis, oculis
mobilibus cunctum inquirens immobile pratum,
sed vox nulla avis et nullus Zephyrus tibi talis
tantique alboris mysteria vasta fatetur.
Visne cavum fagi, quod matrem protegit ac te,
linquere et in nitidam novitatem ludere saltans?
Noli! Parvulus es, nix et te glutiet ampla,
nix quae pura patet, sed res gelat undique mundi.
Noli! quid nunc? Te video descendere caute
arboris a trunco. Mi parve sciure, caveto!
Cauter descendis, sistis, scrutaris ab alto,
laberis et raptim nivis in gremium velut umbra.
(Horae momento tacet omne, sciurus abest et -
aspicite - ut vortex albescens funditus ille
excutit emergens nimiae nivis algida signa).
Mox pete, parve sciure, domum, securus et esto,
hac procul a glacie... Non audis; corde beato,
libertate fruens, saltus facis in nive molli,
vanescens subito ac subito rediens ad apertum.
Oh, memini tandem. Tu ludere perge, sciure...
Quam bene eum memini puerum, qui sic faciebat,
inscius immitis gelidaeque hiemis rediturae!

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis



IN VINO LATINITAS

EST! EST!! EST!!!

DI MONTEFIASCO
DENOMINAZIONE DI ORIGINE CONTROLLATA
1988

Anno MCXI^o p. Chr. n. praesulem Johannem Defuc, Augusti Enrico V comitem, Romam contendisse in historiis legimus.

Per longum iter, vini capacissimus ac peritus, Johannis Defuc suavissima vina exquirere in animo habuit.

Eo consilio fidissimum ministrum suum Martinum praemisit ut, quodcumque locum ubi primae notae vinum reperisset, in caupona fronte "EST" conscriberet vel potius "EST! EST!!" ubi praesertim illustrem invenisset.

"Montefiascone" perventus, peritus minister sic iucundum vinum invenit ut "EST EST...EST!!!" merito conscribere statueret.

BIGI

Imbottigliato da Bigi s.c. a r.l. nelle proprie cantine di Orvieto - Italia

75 cl. (e)

ITALIA

11,5% vol.

In regione 'Mons Faliscorum' (Italice: Montefiascone) appellata in Italia sita etiam nostris temporibus certum vinum producitur, quod iam Romani antiqui bibebant et quod 'Falernum' appellabant.

Quod vinum nomine EST! EST!! EST!!! ex oppido Urbe Vetere (Orvieto), ubi lagonis impletur, non solum in regiones maxime varias totius Italiae, sed etiam totius orbis terrarum exportatur.

Dorso autem schedulae, quae omni lagonae agglutinata invenitur, verbis Latinis fabula narratur, quomodo hoc vinum excellens nomen suum ceperit.

Udalricus Aeschlimann

GIBBER

(Narrationis pars tertia)

Transivimus. Cubiculi suppellectile nihil simplicius: subsellium, grabatulus, mensa. In adverso pariete domesticus caminus, in eoque ardens ignis: olla iuxta ignem effervescentis lactis odorem in altum spirat. Furtivos oculos convertit, nos ut videt, appropinquat. Tunc vir quidam nigris oculis nigroque crine, humeris leviter incurvis, claudicante pede, nos benevolus excipit. "Ave, Ioannes", ita Carolus, "ad te visitandum venimus, sed nullo modo operam tuam turbare volumus: quomodo te habes?" - "Non satis bene, ut vides: nam cruribus laboro. Non multis abhinc diebus exstanti trunco hirtis vepribus cooperto ita inscius incidi, ut humi graviter procubuerim altero pede claudus. Medicum arcessivi, medicamenta assumpsi, cetera tibi fingere potes..." ait, capillamentum sibi turbans. "Cumque autem magnus meum animum invasisset timor, ne ad pristinam valetudinem redirem, lecto sedulus moror, libros vel cuiusvis generis scripta voluto et, ut tempus teram, cantillo." Eius hilari festivitate allecti multo cum risu consedimus. Deinde: "Quid vos adduxit?" sermonem lepide redintegravit fratri occurrens. Argutis oculis me primum circumspexit quasi animi aerumnas mihi auferre vellet vel pectori innumeris vicibus vexato quietem animique tranquillitatem adducere. "Loquere, quaeso, nam si qua in re tibi inservire possum, id haud gravate faciam." - "Tibi gratias ago, sed nulla re opus est mihi: statui quidem amicissimum meum ad meos penates conferre, ut nobiscum epularetur." Deflexo, ut fere semper, capite ita loquitur nec quicquam intuetur. Sermone confecto vix adridet mihi, fratris responsum exspectat, praecordiis et laetitiam et sollicitudinem quasi cohibere nisus. Ioannes autem, dextera adlevata, nos nec aegre nec tarde circumspicit, spumantis lactis pocula replet nobisque humanissime praebet. Intra temporis momentum miro mentis acumine et cogitationum dissensione in diversas sententias carpebatur, nos autem, tam lento ac sereno verborum ambitu incedebamus, ut pigros aut imbelles diceres. Ioannes vero, modo cantiunculas proferebat, modo mentis impetu elatus recentissimorum poetarum versus haud

illepide recitabat. "Videte", tunc ille iocose, "ne nimio lactis pondere ilia vestra perrumpantur: merum hinc procul abest..." - "Non est derisui locus", ait alter, "si utriusque gaudium inania tua movent: saltas, cachinnas, cantillas, quid plura?" Dum aliquantum temporis obstupefactus manet, Carolus et ego cachinnis libentissime indulgemus. Ille cantum renovat, vox repercussa clarum longumque 'ite, ite' resonat. "Audin, amice, frater iste vocalis nos abire iubet: quidam est quasi optimi nuntii laetus adventus, ideo, eo maxime repugnante, hic aliquot commorabimur dies", non sine incompta labiorum oscitatione Carolus fatur. Haec non infaceta dicta sapidique gestus sequuntur. Ubi risus tacuit: "Hesterno die, sub vesperum, gibber, socer tuus adfuit mihi que nonnullos pisciculos, quos paulo ante ceperat, attulit. Praeter cetera se Iuliam nepotemque vidisse mihi trepidis verbis renuntiavit. De iis enim haud mediocris fuit sermo: in multam noctem, ut vere dicam, eum producturi eramus nisi, ex improviso, acutos eiulatus immodicosque clamores edidisset, exinteratis tamquam ulceribus, gemitus effundens. Medicum statim adhibui, intima eius inspexit, micantes venas pressit aliaque huius modi. Postquam vero totum illum hic illic palpavit eum iamdiu letali irreparabilique morbo esse adfectum nulla dubitatione confirmavit. Postea, grabatulo stratus noctis spatium transegit et, ubi primum illuxit, in monachorum coenobium se rursus contulit."

Ubi loquendi finem fecit, Carolus faciem mutasse videbatur: hilaris etiam vultus, tanto premente metu, sudore madidus expalluerat. "Cuiusdam numinis consilio atque sententia factum, pro certo, puto, ut ille, qui tuis nuptiis acerri-mus obstitit" - iratus admodum perrexit - "pro homine nefario ac nequam te omnimodis habens, qui otiandi tantum causa domum meam frequentare solitus erat, quem benevolentius quam par esset persecutus sum, haec omnia merito perferret: mihi, igitur, nullum fastidium in posterum attulerit nec tibi molestiam." - "Ne diutius rideas, precor", - subita ira frater exarsit, sed idem est adsecutus ac si neminem adlocutus esset. "Desine, aio!" minaci voce iterum exclamavit. Ridere Ioannes desiit, sed ut illum illuderet oculos totos exseruit. Ioannes ne susceptam operam intermitteret, insolitam fratris petulantiam omnino neglexit, id tantum agens, ut opus quam citissime absolve-

ret. Admiratione ac dubitatione percussus nullum ex ore verbum protuli. "Senex ille" - paulo post - "quem miseris obscaenisque motibus exsultantem mihi, nulla miseratione motus, digito denuntiasti, ille", inquam, "quem maleficis verborum aculeis sui non bene compotem dixisti tibi familiaritate ac intima prorsus animorum cognatione estne devinctus?" Ioannes, oris lineamentis immutatis, turbatus constitit. "Ita prorsus est ut dicis", se ex metu recipiens Carolus inquit, "noli, quaeso, mirari, Marce." Ientaculo sumpto exivimus. - "Ecquid?" Ioannes laeto vultu resumpto ita fatur, "domus tua non longe abest, brevi semihorae curriculo, quo tenditis, pervenietis. Quae antea dixi aequo animo accipias, precor, Carole, ne obliquis oculis mea verba diiudices: tibi nullum detrimentum allatura esse ea suspicabar, at aliter contigit..." Lite composita frater fratri adnuit, alter alterum amplexatur.

Salute invicem data, in angustam devenimus semitam, post meridiem ingredimur domum: caenaculum satis amplum non insuavi sobrietate insigne. In extremo conclavis angulo pictis tabulis exornato puellulam mox agnovi, quae fixis oculis ac renidenti ore imagines per televisificam capsellam emissas intuebatur. Mures duo, promissa cauda severoque vultu sibi dira minitabantur, sed mox quae nuper cauda erat, propter iram dehiscens, in duplicem caudam mutabatur, colore viridem, asperitate vernis vepribus simillimam, quae tamen, temporis puncto, rursus informis foliorum cumulus apparebat, intonsis aridisque ramis nudam solitudinum effigiem prae se ferens. Puellula tam mirabili spectaculo delectata modo risum edebat, modo deflentes eiulantesque murium motus corporis habitu gestuque imitabatur. Inter haec, mihi Iulia salutatum occurrit e culina citissime progressa unde suaves odores naribus efflabant. "Salve Marce, quomodo vales?" animique sensus, qui essent grata verborum modulatione, significavit. "Viden, amice, quae tibi allatura sim?" et ad caminum levi ignis crepitu relucentem celeriter processit. "Non sine magna animi laetitia, quin etiam dicam, commotione, haec omnia aspicio." Haud a nobis longe veru edulium paene refertum alterno motu versabatur crepitanti flamma impositum. Laetitia interea televisifica capsella restincta, mihi obviam venit flexuosas fumi nubeculas contemplans atque odorum

suavitatem, dum mihi oculis nictat, magna cum voluptate praegustans. Ubi Iulia nos iussit ad mensam considerare, inter convivas varius, ut fit, oritur sermo. "Mea uxor", inquit, "quidquid dulce, quidquid gratum in apparandis epulis sumendisque cibis experiuntur mortales longe omnibus praestat eosque arte antecellit." - "Sane quidem", inflata propter cibi copiam bucca loquor. Lautissima adfertur gustatio, dein Iulia pastae orbiculos trita carne refertos atque exquisito lycopersico aspersos apponit, inde pingua porcarum crura, vitulinas offulas, iecora anserina. Ponuntur ad ultimum persica mala et bellariorum multorum opportuna varietas. "Inter edendum, hospites, mementote vina", insueto vocis flatu, quasi adultae aetatis mulieris personam gerens, Laetitia, Caroli filia, effata est. "Optimae in mensa adstant lagoenae, aliae rubrum, aliae album merum ostentantes: bibite, quaeso, mihi que deterrima aquarum pocula potanti propinate..." Tum risus ilia nostra concussit eique non sine prudenti consilio rubri vini pocillum adiecimus. "Tibi illis muribus simillimae, quos paulo ante conspeximus, muris more modoque est bibendum: modica prorsus ratione, sorbillatione lentissima." Laetitia cibos non comoedebat, sed avidissime vorabat, quae cum iratus pater eius male pateretur ita eam adlocutus est: "Diceres tuum ventrem vacuum sacculum esse." Cui illa effusos promens cachinnos: "...ohhh..." per longum temporis intervallum, erecto capite emisit. "Id accidit, ut prorsus similis sis", intentis digitis patrem significans, "in mentem illum tu reducis...certum est...eadem vox, iidem oculi iidemque capilli...hac re prorsus non fallor: dic mihi te esse te: o mi pater, rex optime porcorum." Carolus risu simul atque indignatione retentus primum obnubilata fronte filiae obsistere conatus est, denique, cum ex illius contumeliis sibi persuasisset nihil in his turpe vel malum inesse, cachinnare ipse coepit, dum in ingens narium sternumentum simulatam iram effundit. Iucundo sermone convivium hilares producimus quousque Laetitia, postmeridiano veterno ac vino correpta, cubitum discedit.

(Narrationis pars quarta in proximo libello sequetur)

Maurus Pisini

Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) ----- Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

AZB

8050 Zürich

4/94

IDIBVS SEPTEMBRIBVS
MCMXCIV

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

TOMVS 17

FASC.105